Thesznarowicz Zacharias: Quaestio iuridica de praesumptionibus

In Nomine Domini Amen.

QVÆSTIO IVRIDICA.

DE PRÆSVMPTIONIBVS.

Ex c. Quanto de Præsumptionibus iuncta l. Antiquæ Iurisdictionis C. ad S. C. Velleianum

Quam.

In Collegio DD. Iureconsultorũ

M. ZACHARIAS THESZNAROWICZ, I. V. Professor, Protonotarius APOSTOLICVS Ecclesiæ Collegiatæ SS. Omnium Canonicus Gorscianus.

Publicæ Disputationi

PROPONET.

Anno Salutis 1692. Die 1. Septembris.

Permissu Superiorum

CRACOVIÆ, Typis Vniuersitatis.

QVÆSTIO IVRIDICA.

V. Præſumptio Iuris & de Iure, tam in foro Externo, quàm Interno obligans: per confeſſionem eius pro quo ſtat talis Præſumptio, admittat probationem in contrarium nec ne?

CONCLUSIO I.

PRæſumptio Iuris & de Iure, eſt diſpoſitio legis aliquid præſumentis, & ſuper præſumpto tanquam certo Ius ſtatuentis.

c. is qui fidem cum ibi notat: de ſponſal: Gloſſa in l. ſiue poſſidetis C. de Probat. Andreas Alciatus in Tracta: de Præſum: Parte 2. n. 4.

COROLLARIA

I. Statutum introducens aliquod probationis genus illiq; plenam fidem attribuens Præſumptionem Iuris & de Iure conſtituit.

Romanus in l. ſi duo num: 8. ff de acqui: Hered.

II. Præ-

II. Præſumptio Iuris & de Iure, neceſſaria quoq; Probatio appellatur; ſiue à naturalibus, ſiue ab humanis principijs procedat.

l. optimam C. de contrahen: & committen: ſtipulationibus Baldus in Rubrica c. de Probat: num: 5to..

III. Præſumptio hæc neceſſaria, ab humanis principiis deſcendens, etſi ex integro dilui non valet, ex aliqua tamen parte, extenuari poterit.

Menoch: Lib: 1mo de Præſumptio: Quæſt: 3. num: 11.

IV. Contra Præſumptionem (quæ à naturalibus vel humanis principijs ortum habet) à lege approbatam; Iudex, vel nullam probationem, vel ſaltem indirectam admittet.

Gloſſa in Clemen: 1. in verbo feciſſe de Probatio: Alexander in l. à Diuo Pio. §. ſi pignora ff de re Iudicata.

V. Neceſſitas probationis eiuſmodi, minimè competit Præſumptioni Iuris tantùm, aut hominis; penes quas, ipſa veriſimilitudo, ac probabilitas manet.

l. 12. & ſequentibus. ff de Legibus Baldus in Rubrica C. de probat: num: 6.

CONCLUSIO II.

PRæſumptio Iuris & de Iure in foro externo obligat; ſententiamq; exinde latam, firmam, ac ſtabilem reddit.

Nouella 1. c. 2. & Baldus in Rubrica C. de probat: num: 4.

COROLLARIA.

I. Licet aliquæ Leges, in præſumptione fundatæ vno vel altero caſu particulari, ob defectum veritatis præſumptæ materialiter iniuſtæ eſſe videantur; illas tamen vti formaliter, & in genere iuſtas, in foro externo reprobare non licet.

Arg: Nouel: 1. c. 2. Engel de conſtitutio: Lib: 1. Tit: 2. §. 3. num: 40.

II. Ex Præſumptione Iuris & de Iure ſententiam Iudex ferre poteſt, ſecus eſt ex præſumptione hominis, à lege expreſſim non probata, aut ex præſumptione Iuris tantùm, quæ poſſit contraria probatione improbari.

Menoch: Lib: 1mo. Præſumptio: Quæſt: 96. vbi adducit ſtatutum Venetum in Prologo c. de Præſumptio: num: 1.

III. Si quiſpiam ex Præſumptione Iuris tantum condemnatus fuerit; habuerit autem pro ſe, contrariam Præſumptionem Iuris & de Iure; illius condemnatio retractari debet.

Curtius ſenior in l. admonendi num: 2. ff de Iureiurando. Felinus in c. ſignificaſti num: 8. de Homicid: Alexander in l. 1. num: 29. ff ſi certum petatur.

IV. Si vero lata fuerit Sententia ex ſola Iuris Præſumptione, per aliam Iuris tantùm, quamuis contrariam præſumptionem, retractari non poterit.

Abbas & Aretinus in c. propoſuiſti & ibi Felinus num: 11. de Probationibus.

V. Quamuis regulariter Sententia lata, nec dum in rem Iudicatam tranſiens, executioni demandari non ſoleat; Sententia tamen ex probationibus priuilegiatis lata, quales eſſe cenſentur Præſumptiones, executioni demandari debet.

Innocen: in c. tua nos de cohabitatio: Clerico: & Mulier: Scala Patauinus in Tract: de Conſil: Sapien: Lib: 4. c. 22.

CONCLUSIO III.

PRæſumptio Iuris & de Iure, itidem in foro Interno obligat; niſi de contrario conſtet.

Arg: c. quo iure diſt: 8. D. Paulus ad Rom: c. 13. Salomon Prouer: c. 8. & c. Quæ in Eccleſia: de Conſtitutio:

COROLLARIA.

I. Licet intentio non fuerit Legislatorum, vt ferrent leges,

leges, in ordine ad obligandum in conſcientia, ſed duntaxat ad ſtatum Politicum gubernandum: attamen ſi fuerint Iuſtæ, habent vim obligandi in conſcientia à lege Diuina à qua mediatè deriuantur.

Abbas in c. 1. de Conſtitutio: & c. omnis anima de cenſibus.

II. Cum Veritas ſemper præualeat, & illi omnia cedant; meritò illâ apparente, Præſumptionibus non datur locus.

l. penulti: ſ. mulier ff de probatio.

III. Vigore huius Præſumptionis Iuris & de Iure, præſumitur quis bona fide poſſidere; adeoq; etiam in foro Conſcientiæ, omnes fructus, tam naturales, quàm induſtriales lucratur.

Abbas in c. grauis de reſtitutio: ſpoliatorum & l. certum C. de rei vendicatio:

IV. Is qui veritatem rei habet pro ſe, quanquam ei aduerſetur Præſumptio Iuris & de Iure; non tenetur in foro interno, ſua ſponte dare, vel reſtituere controuerſam rem victori; ſi tamen is condemnatus, decreto Iudicis, ad reſtituendum compellatur, obedire tenetur.

Innocen: in c. quia pleriq; n. 3. de Immu: Eccleſ:
Abbas in c. is qui fidem num: 4. de ſponſalibus.

V. Quotieſcunq; lex ſtatuit obſeruari debere certas ſolennitates, prout accidit in alienationibus bonorum Eccleſiæ, vel pupillorum & minorum, idq; ob ſuſpicionem deceptionis & doli; ſi dolus & deceptio nulla interueniat, alienatio talis non ſeruatis ſelennitatibus facta in foro interno minimè obligat.

c. 2. de rebus Eccle: non alienan: in 6to. Bartolus in l. cum ii ſ. eam tranſactionem ff de tranſactionibus. Menoch: de Præſumptio: Lib: 1. Quæſt: 80. num: 16.

CONCLUSIO IV.

PRæſumptio Iuris & de Iure, per confeſſionem Partis, pro qua talis Præſumptio militat, admittit probationem in contrarium. *Gloſ-*

Glossa in Authen: de æqual: dot: §. aliud. Et in l. in contractibus C. de non num: pecunia. Felinus in c. quoniam: de Probatio Alciatus Tract: de Præsumptio: Parte 2. num: 6.

COROLLARIA

I. Confessio siue vera siue ficta, in Iudicio facta de his, quæ non pendent à voluntate & potestate confitentis, non diluit præsumptionem Iuris & de Iure.

Abbas & Butrius in c. is qui fidem de sponsal: Felinus in c. quanto num: 3. de præsumptio:

II. Confessio Iudicialis, absente aduersario, de rigore Iuris Ciuilis, non plenè probat, secus est de æquitate Iuris Canonici.

l. certum §. si quis ff de confessis Ioan: Andr: apud Panormitanum in c. finali de confessis.

III. Si Reus non tantùm ore tenus, sed in aliqua scriptura confessus fuerit; vel Protocolo eandem confessionem inseri patiatur, cuius deinde tenor aduersario communicetur, tunc talis confessio, indubitatè etiam de Iure Ciuili plenè probabit.

Panormi: in c. exparte num: 5. de Confessis.

IV. Extraiudicialis Confessio, quamuis per Testes fuerit in Iudicio comprobata; haud tamen diluit Præsumptionem Iuris & de Iure.

Alciatus in Tract: de Præsumptio: Parte: 2. num. 9. Butrius in c. is qui fidem de sponsal: num. 15.

V. Præsumptiones ex delicto ad Torturam sufficientes dilui atq; eneruari possunt, confessione offensi, asserentis, ab illo inquisito, se non fuisse offensum.

l. 2. ff ad S. C. Sillanianum Baldus in l. 1. num 3. C. de legatis & fideicom. Aretinus in c 3. num: 31. de probatio: Alex: in consil: 24. num: 15. Felinus in c. 1. n. 18. & in c. literas num: 20. de Præsumptio.

Ad M. D. G. B. M. V.
Honorem.



SUB FELICISSIMIS AUSPICIIS

Magnifici, Perilluſtris, & Admodùm Reuerendi D.

D. M. CHRISTOPHORI SOWINSKI,

S. T. Doctoris & Profeſſoris, Collegæ Maioris, Eccleſiarum Collegiatarum ad S. FLORIANVM Decani, Cuſtodis Pilecenſis, Cancellarij Poſnanienſis, Curati Proſouicenſis, Contubernij Philoſophorum & Collegij Vladislauiani Prouiſoris, Studij Almæ Vniuerſitatis Cracouienſis Generalis ac Vigilantiſſimi

RECTORIS.